



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 167. Quidam ex Franciæ Principibus a Rege proscripti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

asseritur, B. V. in originali peccato fuisse
conceptam, ad librorum prohibitorum
Indicem fuisse rejectos novimus. Hu-
jus vero concertationis exitus ad an-
num Domini millesimum sexcentefimum
vigefimum primum referetur.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXVII.

*Quidam ex Franciæ Principibus a
Rege proscripti.*

Nec magis pacatæ erant Galliarum
res; cum enim nec Ancræus Ma-
rescallus honore ac vita privatus, nec
Condæus libertati assertus esset, adeo
non sincera, firmaque Principum re-
conciliatio sperari poterat, ut potius
Bullionius, Nivernius, Mayenius alii-
que Duces ac Principes denuo arma
pararent. Inde Rex ad iracundiam
provocatus, ineunte Mense Januario
Lutetiæ Parisiorum edictum adversus
Nivernensem Ducem promulgari jussit,
eumque, exprobrata perduellionis cul-
pa, dignitate, ac honoribus, officiis-
que spoliatum, tanquam rebellem, pa-
cisque publicæ perturbatorem ex uni-
verso Regno proscriptis, nisi intra qua-
tuordecim dierum spatium ipsemet co-
ram Rege compareret, factorumque
rationem redderet, ac dimisso, quem
in Condæi opem conscripsisset, milite

*Merc. Gal-
lob. tom. II.
lib. 3.
Calmet Hist.
Univ, l. 151.*

Sæc. XVII. extero, a perversis machinationibus re-
A. C. 1617. cederet. Hoc Regis edictum in Pari-
 sieni Senatu die decima septima ejus-
 dem Mensis ad acta fuit relatum; ac-
 cusabatur enim Nivernius Dux, quod
 Regios milites, quibus præerat, sacra-
 mento adegerit, ut ipsum adversus
 quoscunque defenderent, & præterea
 sine Regis jussu ingentem exercitum,
 quocum Praslinium ad occupandam
 S. Menehildis urbem a Rege emissum
 profligaret, conscripserit, & Catalau-
 num in Campania intercipere molitus
 fuerit. Verum Nivernius Dux com-
 perto proscriptionis edicto suam agendi
 rationem in vulgus sparso quodam re-
 scripto, quod die trigesima Januarii ad
 Regem miserat, vindicare satagebat;
 ipsius quoque uxor Vindocinensem,
 Mayenium, Bullionium Duces, & Mar-
 chionem Cuvrium, Leiayum Præsi-
 dem, aliosque quamplurimos Franciæ
 Proceres, qui ad Suessiones conven-
 rant, ad suas partes pertraxit, milites-
 que in Mariti sui opem conscripsit.
 Aucto igitur seditionis periculo Rex fe-
 veritate utendum ratus, præfatos Prin-
 cipes, interminatis omnibus perduel-
 lium pœnis, denuo proscripsit, eisdem
 exprobrans, quod capto Condæo sum-
 ptibus Provinciarum, quas Regio no-
 mine administrant, milites conscripse-
 rint,

rint, ac iterato violata fide proscriptum Sæc. XVII.
 Nivernium Ducem protegere, Regii A.C. 1617.
 mandati executores vi propellere, col-
 lectasque ærarii Regii pecunias depræ-
 dari præsumperint. Ex adverso Prin-
 cipes divulgato per universam Europam
 scripto actionum suarum integritatem
 manifestare nitebantur, declarantes,
 quod unice ad opprimendam Ancræi
 Marescalli, ejusque conjugis tyranni-
 dem, necnon ad tuendam Regis salu-
 tem, & honorem, Regnique utilita-
 tem arma parassent. Huic declarationi,
 in qua tota seditionis culpa in Ancræum
 rejiciebatur, subscripserant Cæsar Vin-
 docinensis, Henricus Mayenius & Bul-
 lionius Duces, totaque cum ipsis Nobi-
 litas: adstipulabatur quoque vulgus, at-
 que effræni licentia in Ancræum, velut
 omnis mali Authorem, necnon in Re-
 gem tanquam nudum Majestatis simu-
 lacrum, & Ancræi mancipium publi-
 cos effundebat questus, atque indigna-
 tiones: Increbescente autem indies
 procacitate, Ancræus in illorum per-
 niciem, qui liberio rem in ejus, suæ-
 que Conjugis gesta, linguam solvissent,
 plura per urbem patibula erigi jussit,
 postea ubi in tumultus Auctores in-
 quisitum, non pauci carceris, alii mor-
 tis supplicio affecti sunt, quos inter
 Stuartus Nobilis Scotus & Hurteno-
 tius

Sæc. XVII. A. C. 1617. tius Baro, laqueo mulctati sunt, ille
 quidem, quod Principum partibus ad-
 hæreret, hic quod Ancræi detrectaf-
 set imperium: Variensis quoque, qui
 regia hucusque sigilla custodiebat, ea-
 dem Regi restituit, suis in literis, quas
 ad Regem dederat, declarans, quod
 fatius esset ab officiis publicis semoveri,
 quam cernere, quomodo Rex a perfid-
 is prodatur, & fileat, fortassis ex me-
 tu, ne inobediens videretur iis, qui ei
 obedire tenerentur. Insuper die un-
 decima Januarii Mayenii Dux missus ad
 Regem Legato de illatis sibi injuriis
 graviter querebatur, Bullionius vero die
 decima quarta Januarii ad Regis lite-
 ras respondens, sibi per summam ca-
 lumniam imputari ajebat, perinde ac si
 cum extraneis contra Regem conspi-
 rasset, & in Belgium quosdam, qui
 Regis consilia præpedirent, decrevis-
 set. Denique ineunte Mense Februario
 omnes Franciæ Principes, postquam
 in Comitibus apud Sueffiones habitis
 responsum Regis ad Mayenii literas per-
 legissent, Ludovicum XIII. de remediis
 ad reddendam pacem adhibendis com-
 monebant, exponentes, quod Ancræi
 superbia, & inexplebilis avaritia con-
 jugis suæ, unica malorum causa esset,
 auxilium vero, remediumque ad totam
 Galliam ab intolerabili servitute libe-
 ran-

randam in Regis manu positum foret, nisi ergo hos duos, ejusque affeclas ex confortio Regis, ac Reginae Matris exterminaverit, gravissimum inde damnum secuturum sit. Paulopost die sexta Februarii Nivernii Dux ad Regem literas dedit, in quibus petebat, ut Rex interposita sua auctoritate impedire velit, ne ipse Ancræo, eique adhærentibus, sed duntaxat Principibus & Franciæ Paribus ad id convocatis judicandus permetteretur, cum paratus esset horum judicio sese submittere, ut ita & innocentia sua, hostiumque suorum malitia prodatur.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CLXVIII.

Declaratio Franciæ Principum adversus Ancræum, ejusque Consortes.

Promulgata proscriptione Principes plurimas Perthici, Cenomani, Normaniæ & Campaniæ urbes, arcesque occuparunt; ut ergo Rex magis periculosos motæ seditionis progressus sisteret, copias suas in tria divisit agmina, Guisio in Campaniam, Montignio in Nivernium, & Alvernæ Comite in Suessiones irrumpere jussis. Præcipua belli moles ad Portianam arcem erat, quam Guisius crebra tormentorum ex-

*Gramond.
l. c. Calmet
Hist. Univ.
l. 151. n. 9.*